

populo. Nam Apostolus dicit plebi : « Orantes simul et pro nobis. » Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis, fratres : sed et vos orate pro nobis. Invicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellat. Propterea non mirum quia sequitur hic, et claudit ora dividitibus Ecclesiam Dei. Qui enim dixit : « Jesum Christum habemus justum, et ipse propitiatio est peccatorum nostrorum » : propter illos qui se divisuri erant, et dicturi : « Ecce hic est Christus; ecce illic »; et vellent ostendere eum in parte qui emit totum, et possidet totum; continuo secutus est : *Non tantum nostrorum, sed et totius mundi.* Quid est hoc, fratres ? Certe « invenimus eam in campis saltuum », invenimus Ecclesiam in omnibus gentibus. Ecce Christus « propitiatio est peccatorum nostrorum; non tantum nostrorum, sed et totius mundi ». Ecce habes Ecclesiam per totum mundum, noli sequi falsos justificatores, et veros praecisores. In illo monte esto qui implevit orbem terrarum : quia Christus « propitiatio est peccatorum nostrorum; non tantum nostrorum, sed et totius mundi », quem suo sanguine comparavit.

9. *Et in hoc, inquit, cognoscimus eum, si mandata ejus servaverimus.* Quae mandata ? *Qui dicit quia cognovit eum, et mandata ejus non servat; mendax est, et in hoc veritas non est.* Sed adhuc quaeris : Quae mandata ? *Qui autem, inquit, servaverit verbum ejus, vere in hoc perfecta est dilectio Dei.* Videamus ne ipsum mandatum dilectio vocetur. Quaerebamus enim, quae mandata, et ait : « Qui